



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 66. Ibidem actum de exemptione Capitulorum, & de prima caussarum
cognitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul XVI.

A.C 1563.

§. LXVI.

*Adum de Capitulorum exemptione,
& de prima caussarum Cogni-
tione.*

Potissima erat disceptatio circa articulum quintum, qui nunc sextus est: etenim aliqui suadebant, ut retinerentur exemptiones, ac immunitates illorum Collegiorum, quæ Academicis subiacebant, porro idipsum fiebat Complutensis Academicæ gratia, ac præcipuus hujus opinionis fautor erat Andreas de Cuesta, Antistes Legionensis, ad quem accedebat Mendoza, alique complures: ast illi, qui Academicæ alteri, seu Salmanticensi favebant, obstiterunt, ac præcipue Archipræsul Granatensis, qui dixit, se loqui, ne detrimentum paterentur Archiepiscopi Toletanus, & Hispalensis, qui publica studiorum Gymnasia in suis Diæcesibus obtinent: insuper connumeravit cuncta incommoda ex hujusmodi immunitatibus. Hæc oratio multos a priori sententia amovit, multoque plures amovisset, nisi modicus Italorum amor in Guerrerum vim adhortationis illius apud ipsos non hebetasset.

Post hæc cum denuo sententias dicere juberentur Patres, Hydruntinus Archiepiscopus tanquam æquum proposuit

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

posuit, ut Insularum Antistites, quippe
maris difficultatibus obnoxii, privile-
gio fruerentur, quo liceret ipsis Syno-
dos Provinciales per procuratorem a-
dire: Insuper Cardinalis Madruccius
non comprobabat exceptiones, quæ po-
nebantur de primis causarum judiciis
Ordinario reservatis: fatebatur tamen,
quod potestas insit summo Pontifici eas
cognoscendi, sed gravi de causa, &
cum magna circumspeditione, postea
affirmabat, quod forsitan Cæsari, qui
inter laicos Principes summus est, haud
permitteretur, si is primum causæ ju-
diciam ad se ab aliis revocare vellet.
De cetero majori Patrum parti placue-
rat, quod leges pro Cardinalium refor-
matione seorsim conderentur: verum
de hoc articulo nonnisi raptim ageba-
tur: nihilominus Granatensis Archie-
piscopus sic perorabat: „ si Cardinales
„tantum Pontificis Consilarii sunt, in
„Pontificis judicio eorum electio reponi-
„tur; ast cum etiam sint illius electores,
„adeoque eorundem auctoritas ad uni-
„versam Ecclesiam pertineat, universæ
„pariter Ecclesiæ munus est, ut ipso-
„rum ætates, merita, dotes, ac pa-
„trias per editam sanctionem præscri-
„bat. „

Ferme eadem sentiebant Bartholo-
mæus de Martyribus Braccarensis Ar-
chie-

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

chiepiscopus, Ayala Episcopus Segobienfis, & Lotharingius Cardinalis: perceptis igitur diversis hisce sententiis postea Patribus ad perficienda decreta selectis negotium dabatur, ut illas in eam formam redigere satagerent, quæ singulis placeret.

§. LXVII.

Scriptum pro absolvenda Synodo Romanam transmissum.

Pallav. c. 7.
num. 16.

Cum hæc interea gererentur, die nona Novembris Roma Tridentum nuntius venit, qui scriptum quoddam ad Legatos detulit, in quo rationes continebantur, ob quas Patres ad Synodum absolvendam permoveri deberent. Hoc scriptum a Morono erat compositum, cujus summa hæc erat: „cum „hinc necessitas suadeat celeriter „finem Synodo imponere: illinc vero „argumenta jam proposita nec statim „concoqui, nec decore prætermitti possint, hinc id, quod unice expedit, esse „videtur, ut cetera ad Pontificem remittantur: cum autem id nec honeste, „nec utiliter a Legatis proponi possit, „ratio tam facillima, quam honestissima foret, si illius auctor fieret Cardinalis Lotharingius, qui ipse Romæ hoc consilium probaverat, atque ad illud exequendum pronus esse videbatur.